

3781 s. p. q. R. aedem Concordiae¹ vetustate conlapsam in meliorem faciem opere et cultu splendidiore restituit.

Romae (VI 89 cf. p. 831 semel descripta ante saec. nonum, quod exemplum exhibet vetus codex Einsidlensis, de quo cf. supra p. 28 not., et quod ex simili codice habuit etiam Poggius. Adiungitur ad inscriptionem aedis divi Vespasiani supra N. 255, cuius pars adhuc prostat Romae sub Capitolio. Cf. Jordan top. I 2 p. 193 not. 31). — 1) Cf. ad N. 3782.

3782 M. Artorius Geminus¹ | leg. Caesar. Aug., praef. aerar. mil., | Concordiae.

Romae effossa a. 1817, cum pars fori Romani quae est inter arcum Severi et tabularium ruderibus superingestis liberaretur (VI 90 vidit Henzen). Iisdem effossionibus etiam alii tituli Concordiae dicati prodierunt (VI 92—94, item ut videtur supra N. 155), unde iam constat illo loco fuisse celeberrimam aedem Concordiae. Cf. Jordan top. I 2 p. 333 seq. — 1) Cf. supra N. 953.

3783 pró salute | Ti. Caesar[is Au]g[u]st. | pontifi[cis maxi]mi, | princi[p]is | optimi et | ius[tissimi] | ex] v[oto suscep]to, | C. Fulviu[s] us | procos., [pr., praef.] | frum. da[nd.] ex s. [c., leg.] pro pr., q. | pro pr., tr. mil. leg. IX Hisp., | Concordiae. | Auri p. V, arg. p. XXIII.

Romae rep. a. 1872, cum fori Romani margo orientalis terra purgaretur (VI 5673 correxit Huelsen VI 50856).

3784 M. Papius M. f., L. Matrius L. f. | duoviri i. d. | signum Concordiae ex c. c.¹ restituendum | coeraverunt eidemq. dedicarunt | et basim, gradum, aram sua pecunia | faciunda coer. eidemq. probaver., | a. d. III eid. Oct. Cn. Domit. C. Asinio cos.²

Prope S. Germano, ubi fuit Casinum (X 5159 descr. Smetius). — 1) Ex conscriptorum consulto. — 2) A. u. c. 744.

3785 Eumachia L. f.¹, sacer. publ., nomine suo et | M. Numistri Frontonis² filii, chalcidicum, cryptam, porticus³ Concordiae | Augustae Pietati⁴ sua pecunia fecit eademque dedicavit.

Pompeii rep. humi iacens a latere aedificii magni, quod foro adiacet a parte orientali, nunc collocata supra portam lateralem eiusdem aedificii, quo loco videtur antiquitus stetisse (X 810 vidit Mommsen). Similis titulus, sed cuius partes tantum repertae sunt, stetit in fronte eiusdem aedificii (X 811). — 1) Eidem Eumachiae in eodem aedificio a fullonibus positus est titulus X 813. — 2) M. Numistri Fronto, qui duovir iure dicundo fuit Pompeii a. p. C. 5 teste titulo X 892, vix hic fuit, sed potius pater eius, maritus Eumachiae. — 3) Enumerantur partes singulae ex quibus aedificium constabat, ut etiam alibi. Quo nomine fuerit ipsum aedificium et quibus usibus inseriverit, neque ex hoc titulo discimus neque coniectura reperiri potuit. Cf. Nissen pomp. Studien p. 287 seq., Mau pomp. Beiträge p. 255 et apud Overbeck Pompeji ed. 4 p. 151 seq. De structura aedificii nuper egit Mau Roem. Mitth. 1892 p. 145 seq. — 4) Concordiam et Pietatem regnantium celebrari vidit Nissen pomp. Studien p. 290. Pietati Augustae ara Romae decreta est anno p. Chr. 22 pro salute Liviae, cf. supra N. 202. Eadem Livia Concordiae novam aedem fecerat, veterem refecerat Tiberius. Circa hoc tempus videtur hic titulus esse statutus (de Neronis et Aprippinae temporibus cogitaverat Nissen; sed picturas parietum aedificii antiquiores esse observat Mau pomp. Beiträge).